

1074 From *Birrens, Dumfriesshire*. Servabat antea Carolus Kirkpatrick Sharp (WILS.), nunc est Edinburgi in museo (sine numero?), dono senatus universitatis. Cippus litteris bonis, altus dig. 36, latus 14³/₈.

D I B · D E
A B · Q
O M N B
F R V M E N
5 I V S M L · C H Π
T V N G R ·
luna luna

Descripsi. Wilson *prehistoric annals* p. 398 (inde Stuart ed. II p. 128).

Dib(us) deab(us)q(ue) omnib(us) Frumentius mil(es) coh(ortis) II Tungr(orum)

1075 From *Middleby*; a. 1857 illatum museo Edinburgensi, ubi servatur (H 152). Numerus legionis intra sertum positus.

LEGI O
V VI P
F F

Descripsi. Elementum ultimum est F dimidiata. *Legio VI v(ictrix) p(ia) f(idelis) f(ecit)*

1076 *Birrens, a piece of ornamental stone inscribed; servabatur in Hoddam Castle.*

LEGIO XX·VICT

Pennant *tour in Scotland* 1772 vol. 2 append. p. 409 (inde Goughs Camden 4 p. 62; Hodgson 2, 3 p. 253; Stuart p. 129; Bruce *wall* ed. II p. 333).

Certo male lecta; nam aut XX·V·V aut VI·VICT esse debuit.

1077 *A broken stone built up in one of the houses at Middleby; Baron Clerk . . . intended I believe to remove it to his own seat HORSL. Bernis near Middleby* POC. Servabatur in *Hoddam Castle* PENN.

AXSAN
CONIS

Horsley p. 207 *Scotl.* 32 (inde Goughs Camden 4 p. 61; Hodgson 2, 3 p. 253); Pococke cod. mus. Brit. 15800 f. 41; Pennant *tour in Scotland* 1772 vol. 2 append. p. 409. 1 AXAN Penn.

'It seems to have been of the centurial kind, and that's all I have to say of it' Horsl.

1078 From *Birrens, a sepulchral stone*. Servabatur in *Hoddam Castle*.

DIIS MANIBVS AFVTIANO BASSI ORDINATO
TRIBVNO COH·II·TVNGRORVM FLAVIA BAETICA
CONIVNX FACIENDVM CVRAVIT

Pennant *tour in Scotland* 1772 vol. 2 append. p. 408 (inde Goughs Camden 4 p. 62; Hodgson 2, 3 p. 253; Stuart p. 129; I. Becker mus. Rhen. 13, 1859 p. 260) qui litteris minusculis exhibet neque vv. dispositionem observavit. Indicat supplementa sua v. 2 ita *Tribuno Coh. II. Tungrorum* et v. 3 *faciendum*.

Fuerunt fortasse talia: *Dis Manibus. A[r]u[s]iano Bass[o], ordinato . . . , trib(uno) coh(ortis) II Tungr(orum). Flavia Baetica coniunx fac(iendum) cur(avit)*

De ordinatis, siqui fuerunt, v. n. 365. 404. 421. 741.

1079 Anaglyphum caput cornutum (Fauni) exhibens, rep. in *Birrenswark*. Museo Edinburgensi (H 154) intulit David Brewster v. cl. a. 1810. Infra apparent hae tituli reliquiae evanidae.

PIADII

Descripsi. Stuart p. 135 (ubi addidit Thomson).

LXIV. RED ABBEY STEAD

prope *Newstead, Roxburghshire*.

Viae Romanae, quae *Watlingstreet* vocatur, mansiones nullae servatae sunt in itinere Antoniniano; quae apud *Ravennatem* servatae sunt nomina locorum non pauca ad regionem illam probabiliter referenda (5, 31 p. 433 s.) ad certum situm redigi nequeunt. In itinere autem Antoniniano p. 464, 1 a limite, id est a vallo, Praetorio usque computantur m. p. CLVI, quae deinde efficiuntur numeris singularum mansionum a *Bremenio per Corstopitum Vindomoram Vinoviam* et quae sequuntur usque ad *Praetorium* situm alicubi in Brigantum finibus ab Eburaco versus meridiem. Sed notum est limitem illum vallumve non fuisse iuxta *Bremenium* ipsum, sed tam *Habitancium* quam *Bremenium* sita esse ultra vallum Hadriani; unde putaverim numerorum computationem falsam habendam, servatam autem esse testimonio illo itinerarii viae eiusdem ulterius versus vallum Pii procedentis memoriam (ut supra dixi in praef. cap. LXII) quamvis incertam. Trames autem viae inde a *Bremenio* etiam versus septentriones clare apparet ad *the Golden Pot, Foulplay Head, Galley Knowl, Chew Green*, ubi via Scotiam intrat. Ad hunc tantum locum *Maclauchlani* tabula extenditur; pars viae ad Scotiam spectans a scriptoribus Scotis, veluti a Gordon et a Guillelmo Roy in universum explorata neque vero tam accurate definita est, quam Anglica. Videtur igitur illa processisse per *Woden Law, Towford, Bonjedburgh* iuxta *Eildon, Newstead* et *Melrose* in *Roxburghshire* (Roy p. 102. 117 tab. 22; Goughs

Camden 4 p. 34; Stuart p. 146 ss.). Ibi prope in *Red Abbey Stead* effossionibus institutis ante hos viginti fere annos (cf. Ioh. Alex. Smith *proceedings of the society of antiquaries of Scotland* 1, 1852 p. 28 ss.) praeter varias aedificiorum parietinas reperti sunt tituli duo (n. 1080. 1081), qui re vera castra aut praesidium sane ibi fuisse demonstrant a vicesimanis (n. 1081) et ab ala fortasse Vocontiorum (n. 1080) per aliquot tempus defensum. Nomen vero castrorum ignotum est; nam quod antiquarii Britanni omnes (cf. Roy p. 115 tab. 21) atque cum iis etiam Ioh. Alex. Smith in *Eildon* propter colles tres eminentes, quibus adiacet, *Τριμύντιον* Selgovarum oppidum secundum Ptolemaeum (2, 3, 8) collocant, id probabilitate caret, propterea quod, ut diserte affirmat Smithius, nunquam quidquam repertum est rerum antiquarum in ipso *Eildon* vico vel prope eum. Sane *Ravennas Trimuntium* una tantum mansione interposita, quae nomine aperte corrupto *Eburocastum* scribitur, iuxta *Bremenium* nominat (5, 31 p. 434, 11); sed neque eius nec Ptolemaei testimonia sola ad loci situm definiendum sufficere supra iam monui. Ceterum etiam ultra *Newstead* viae *Watlingstreet* vestigia observata sunt prope *Pirn, Channel Kirk, Creighton Castle, Currie, Borthwick Castle, Buckstone* (cf. Roy p. 103), ita ut re vera videatur extensa fuisse paene usque ad eam partem valli Scotici a Pio imperatore facti, quae est prope *Cramond*; de quo loco dicetur infra (cap. LXV).

1080 Ara rep. a. 1783 prope *Newstead, Roxburghshire*. Postea in the advocate's library, *Edinburgh*, presented by *Baron Clerk*; nunc ibidem in museo (H 158).

C A M P E S T R
S A C R V M · A E L
M A R C V S ·
D E C · A L A E A V G
5 V O C O N T I O R
V · S · L · L · M ·

Contuli. Stuart p. 219 tab. 6 fig. 2 inter lapides incertae originis; I. A. Smith *proceedings of the soc. of ant. of Scotl.* I 1, 1852 p. 30 ss. tab. 1 fig. 2; C. R. Smith collect. ant. 6, 1868 p. 24.

5 VOCONTIO traditur.

Alam Augustam Vocontiorum in Britannia militasse praeter hunc titulum docet Batavus apud

Henzenum n. 5918 (Brambach n. 67), in quo decurionis alae Vocontiorum exercituum [sic] Britannici mentio facta est.

Campestr(ibus) sacrum Ael(ius) Marcus dec(urio) alae Aug(ustae) Vocontio(rum) v(otum) s(olvit) l(ibens) l(aetus) m(erito)